

*Quando Bonifacius marchio cepit Alexium
falsissimum imperatorem.*

CAP. CXXIV.

Cum hæc aguntur, Bonifacius marchio de Monteferrato, Salonicensium princeps, Alexium falsissimum imperatorem in civitate^[a] Andropoli^[b] (99) cum uxore et filio cepit, quos^[c] vinculis aureis illaqueatos in Monteferratum ad Guilielmum suum filium transmisit. Sane post tempus non modicum, idem marchio Bonifacius, cum quosdam^[d] finis^[e] suos^[f] micos Græcos (94) sæpissime expugnasset, in quodam durissimo bello vulneratus sagitta balistæ, statim ex hoc sæculo migravit ad Dominum; quo audito, filius ejus Guilielmus pro amore^[g] Dei et anima patris dictum imperatorem cum uxore et filio, quos captivos tenebat, liberos abire permisit.

De secunda destructione Bagnacaballi.

CAP. CXXV.

Ab antiquis suorum prædecessorum semitis Bagnacaballenses deviare nolentes, terga ratis Faventinis volvere, auram^[a] flante secunda, non desierunt; nam in bello præfato^[b] [A] opem eis, ut tenebantur, non contulerunt, foveas quidem circum burgum, Faventinis prohibentibus, die noctueque facere nitebantur. Anno itaque Domini mcccv/ Faventini, sub Fantolino eorum potestate, pace reformata cum Petro Traversaria, die xxv mensis septembris, ex improviso equitaverunt Bagnacaballum, præfato Petro ex altera parte secum quadringentos ducente milites. Quo audito, comes Malvicinus et xx Bagnacaballensium milites sese sine pactione tradiderunt Faventinis; quibus receptis, totum castellare^[c] destruxerunt cum burgo.

*Quando Faventini miserunt milites in servitium comitis
Guidonis super Pistorienses.*

CAP. CXXVI.

Anno a nativitate Domini mccvi, Faventini miserunt milites in servitium comitis Guidonis Guerra super Pistorienses, cum quibus habebant^[d] guerram, occasione Montis

[a] in civitate. Sic lego. In Codd., in civitatem. — [b] Andropoli. Sic Codd. An legendum Andri-
noli, urbe in Thracia? — [c] quos. Sic C. V. In C. M.; quo in. — [d] pro amore. Deest pro
in Codd. — [e] totum castellare. Sic Codd.; id est, ut vertit Tondutius, arcem.

[A] In bello nempe contra Livienses, descripto superius in cap. cxix, cxx, cxxi, cxxii, cxxiii.